



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. IV. Solvuntur argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

tionis; (teste Adversario) alloqui *omnes* Fideles, & *omnibus* imperare, attamen illis *omnibus* imperavit, & *omnes*, nullo dempto, allocutus est cum comminatione excommunicationis. Certè ne levi quidem probabilitatis specie puto dici posse, dictos Pontifices in suis Decretis locutos ut Caput Inquisitionis, nisi probabiles sint deductæ sequentiæ, quod nemo dicet.

N. 25. Confirmo secundo: quia quantum utilitatis Fidelibus provenit ex Decretis, si sint à Papâ ut Capite totius Ecclesiæ, tantum detrahitur, si sint à Papâ ut Capite Inquisitionis. Prima utilitas est, quod necessarium aliquando sit, ut omnes Fideles cognoscant supra se Pontificem tamquam Caput totius Ecclesiæ, & ejus infallibilitatem cæco intellectus obsequio venerentur. Secunda, ut admittant indubitanter, quod Papa præcipit, & rejiciant, quod damnat. Tertia, ut tamquam infallibile tucantur, quod Papa docet ut Caput Ecclesiæ. Cessant autem dictæ utilitates, si Papæ in dictis Decretis se habent ut Caput Inquisitionis. Cessat prima; quia non cognoscitur ut Judex totius Ecclesiæ; secunda, quia, licet ut Caput Inquisitionis sit gravissimæ autoritatis, non tamen tantæ, ut reddat infallibile, quod asserit, tertia, quia infallibilitas non est promissa Papæ ut Capiti Inquisitionis, sed ut Capiti Ecclesiæ Universalis.

N. 26. Quarta ratio sumitur ex perpetuâ similitudine Decretorum interpretatione; securior enim legis interpretatio est consuetudo: sed, ut bene P. Moya n. 23. Decretum Clementis VIII. prohibentis absolutionem inter absentes fuit sub eadem formâ datum in Universalis Inquisitione Romanâ anno 1602. & tamen ita datum, fuit tantâ reverentiâ ab omnibus exceptum, ac si esset, ut verè est, Decretum Papæ loquentis ex Cathedrâ, nec ullus post illud Decretum ausus est docere opinionem damnatam, vel dicere Decretum fuisse Clementis ut Capitis Inquisitionis; immò omnes T.T. ut certum supponere, Decretum fuisse Clementis ut Capitis totius Ecclesiæ; & tale Decretum expressè vocatur à P. Palao tom. 4. tr. 23. d. unicâ p. 5. *Mortuus proprius*, ait enim; sed jam de hac re dubitare non licet, quia Clemens VIII. in Motu proprio, &c. & Joan. Mart. de Prado trahens idem Decretum Clementis in tom. de Pœnit. quest. 3. de qualitate Sacramentalis Confessionis dub. 1. n. 20. dicit esse doctrinam ex Cathedrâ, & à P. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 19. sect. 3. in fine, vocatur definitio; ait enim: est sententia certa in gradu à Pontifice definita: P. Kon. quod idè trahit P. Konin. & alij passim: ergo

licet Decreta Alexandri, Innocentij, Urbani, aliorumque Pontificum damnantium aliquas opiniones morales, eodem tenore processerint, non obstat, quin hæc Decreta sint Pontificia, seu ex Cathedrâ. Confirmo ratione initio §. antecedentis adductâ, quam hæc paritate illustro: Magis necessarium est Ecclesiæ scire, quandonam Papa loquatur ex Cathedrâ, quam Hispaniæ scire, quando Rex loquatur ut Rex: nisi dicere velimus, Deum magis egisse causam Reipublicæ secularis, quam Christum D. Reipublicæ Christianæ à se institutæ, & suo sanguine redemptæ; ut ergo Deus subditis dedit discerniculum, quo vocem Regis ut Regis discernere possent à voce Regis ut personæ privatæ; ita multò magis Christus D. dedidit se debuit discerniculum, quo Fideles vocem Papæ ut Capitis totius Ecclesiæ discernere possent à voce Papæ ut personæ privatæ: nullum autem melius discerniculum desiderari potest, quam quod Papa omnes Fideles alloquatur, omnibus præcipiat, & ab omnibus suam decitionem ut indubitatam admitti velit. Sanè vix puto ausurum aliquem tot quasiunculis confundere vocem Regis, ut vix apparere possit, quando Rex loquatur ut Rex; & audebimus tot trices vocem Pontificis implicare, & exigere ut necessarias tot loci, modi, Notarij, sigilli, tituli circumstantiarum examen, in re Ecclesiæ adeo necessariâ, nulla inde utilitas proveniat, quam confusio, ignorantia, & Decretorum Pontificiorum mobservantia. Ego certè paratus potius sum in eam venire sententiam, ut vel negem nobis constare, quando Rex loquatur ut Rex, quam dependentè ab innumeris circumstantijs Pontificis loquelam asserere: longè enim absurdius est Supremum omnium Principem, cujus vox veritas, & vita æterna est, mille tricarum nodis irretire, quam vocem Principis secularis. Apagæ.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

SUMMARIUM.

Locus nil facit, ut Papa loquatur ut Papa, n. 27.
Discrimen inter Decretum Clementis VIII. Alexand. & Innoc. n. 28.
Cur Decretum Hispanæ Inquisitionis necessarium, n. 29.
Cur Papa loquens in Inquisitione, non loquatur ut Præses illius, sed ut Caput totius Ecclesiæ; Rex verò loquens in Congregatione Ordinis S. Jacobi, non loquatur ut Rex, sed ut ejus Ordinis Magister? n. 30.

An ea

An ea Decreta dicenda definitiones ex Cathedra, n. 31.

Censura Papa ut Papa sub iisdem circumstantiis immutabiles, ibid.

Rejicio Filgueiræ, n. 33. 34.

Quot Congregationes numeret, ibid.

An Cardinalium Declarationes sint leges? n. 35.

Inter se aliquando opponuntur, ibid.

Per hoc quod liber ab Ecclesia approbetur, non ideo est de fide quicquid continetur, etsi sit D. Augustini, n. 36.

Exercitiorum liber qualiter approbatus, ibid.

Liber damnari potest a Papa, vel ut Capite Inquisitionis, vel ut totius Ecclesia, n. 37.

Assentientia declarativa Papa non potest fieri suppletio, a legislativa potest, ibid.

Ly tamquam in Decretis non importat impropietatem, n. 38.

N. 27. Ad argumentum resp. me in nullo auctore antiquo legisse, quod ad hoc ut decretum sit certo Pontificium, non debeat emanare ab Inquisitione, nec ab ejus Notario subcribi; hoc enim perperam Adversarij requirunt, & ad summum probat, ut ait

P. de la Fuente n. 139. Decreta ut tradita in Tribunali Inquisitionis Romanæ, non habere vim generalem obligandi ex tunc, sed tantum ab eo die, quo per modum Legis Põtificiæ promulgata sunt: ut enim Papa loquatur ut Papa, nihil interest locus, ubi Papa suam mentem manifestat; dummodo enim ejus mens deinde publicetur, tenemur illi stare. Addo: sicut omnes DD. pro certo supponunt oppositum, ut dixi de Decreto Clementis VIII. (cujus discrimen a Decretis Alexandri, & Innocentij legi potest in P. de la Fuente *quest. 12.*) quod etiam emanatum à Congregatione, attramen est certo Pontificium, ita & alia. Addo etiam, quod discretivum Decreti certo Pontificij sumendum potius est à personis, & modo, quo Papa eas alloquitur, quam à loco; si enim Decretum alloquatur omnes Christi Fideles, & velit, ut indubitanter acceptetur, tunc Decretum est certo Pontificium, sive deinde immediate emanet à Papâ, sive à Congregatione, præcipiente Papâ; & ideo P. de la Fuente *diff. 1. quest. 8.* querens, quâ potestate Pontifices in his Decretis uti fuerint, ait. certum esse, usos fuisse autoritate Apostolicâ, seu Pastoris Universalis totius Ecclesiæ, non autem privatâ; nam alloquuntur ubique omnes, & loquuntur, ut Caput, quod præest omnibus membris. Hinc patet ad primam confirmationem. Ad secundam ait Filg. *pag. 45.* Decretum Hispanæ Inquisitionis non fuisse simpliciter necessarium ad hoc, ut De-

cretum Inquisitionis Romanæ obligaret Hispanos, quia hoc fuit editum de mandato Papæ, qui est Superior Inquisitionis Hispanæ, nam Præses Inquisitionis Hispanæ totam suam auctoritatem habet à Papâ; fuit ergo Inquisitionis Hispanæ Decretum necessarium, ut melius, & citius Romanæ Inquisitionis Decretum effectum suum fortiretur, & ut omne imprudens dubium tolleretur, quod fortè oriri posset de valore Decreti Romani, nisi à Decreto Hispanæ Inquisitionis, ejus Decreti Romani obligatio intimaretur.

Post hæc Doctoris Complutensis argumenta, restant nobis alia afferenda ex alijs, & solvenda.

Objicies primò: Si Rex Hispaniæ præcipiat aliquid in Congregatione Ordinis S. Jacobi, tunc non præcipit ut Rex, sed tantum ut dicti Ordinis Magister Generalis: ergo etiam Pontifex præcipiens in Inquisitione Romanâ non præcipit, ut Papa, sed ut Caput Romanæ Inquisitionis. Resp. cum P. Card. *tom. 4. n. 101.* esse manifestum discrimen, quia tunc Rex decernit tantum materiam propriam ejus Ordinis Militaris: ergo non præcipit ut Rex, sed tantum ut Caput ejus Ordinis; contra Papâ in Inquisitione decernit pro totâ Ecclesiâ, & materiam pertinentem ad totam Ecclesiâ, & omnes Fideles etiam Romanæ Inquisitioni non subiectos alloquitur: ergo decernit ut Caput totius Ecclesiæ.

Objicies secundò: Si Innocentij, & utriusque Alexandri Decreta essent ex Cathedra, essent definitiones ex Cathedra. Resp. ex P. de la Fuente *diff. 1. n. 138.* hoc non esse nisi puram de voce questionem, an dicta Decreta dicenda sint definitiones ex Cathedra. Si per definitionem ex Cathedra veniat quælibet Papæ infallibilis decisio, & declaratio in quacumque materiâ, in hoc sensu ea Decreta sunt definitiones ex Cathedra, quo sensu P. Suar. P. Vafq. P. Arriaga, P. Palao apud P. Cardenas n. 119. Decretum Clementis VIII. damnans absolutionem inter absentes, vocant definitionem ex Cathedra, & tale etiam dicitur à M. Mart. de Prado *l.c.* & quo sensu Herinx approbationem Religionum dixit n. 90. esse quodammodo Papæ definitionem, & P. Gasp. Hurt. *d. 11. diff. 15.* Decretum Papæ circa mores vocat definitionem. Si autem per definitionem ex Cathedra veniat Decretum declarans, & constituens veritatem definitam tamquam articulum fidei, & propositionem damnatam reddens hæreticam, in hoc sensu Decreta Alexandri, & Innocentij non sunt definitio ex Cathedra

N.

30.

P. Card.

N.

31.

P. de la

Fuente.

P. Suar.

P. Vafq.

P. Arri.

P. Pala.

P. Card.

Herinx.

P. Gasp.

Hurt.

N.

29.

Filg.

Lumb.
Torrec.
P. de la
Fuente.
P. Card.
N.
32.

Cathedrâ, non enim Papæ damnatas opinio-
nes declarant hæreticas, nec earum contra-
dictorias declarant Catholicas, etsi damna-
tas dicant esse ut minimum scandalosas. Igi-
tur ea Decreta sunt declarationes ex Cathe-
drâ, non definitiones ex Cathedrâ, nisi in
primo, non in secundo sensu. Vid. Lumbier,
Torrec. & præcipue P. de la Fuente. *disf. 1.
quest. 18. & P. Card. tom. 4. disf. 1. cap. 7.*
Objicies tertio: Censuræ, ut à Papâ ema-
natæ, sunt perpetuæ, & immutabiles: sed
horum Decretorum censuræ non sunt tales, ut
constat ex particulis *pro nunc, & interea*; hæ
enim particulæ non imponunt perpetuum
silentium: ergo. Resp. cas censuras esse sub
ijsdem circumstantiis immutabiles; quod si
contingat, ut censuræ mutentur, erit, quia
circumstantiæ mutabuntur, puta, quia tol-
letur scandalum à damnatâ; ut enim dixi,
damnatae sunt scandalosæ *ut jacent*; & hoc pa-
ter appositio exemplari; nam Alexander VII.
damnat ut scandalosam propositionem 37.
*Indulgentia concessa Regularibus, & revocate à
Paulo V. sunt hodie revalidate.* Ecce est scan-
dalosa, quia supponit revalidatas; quod si
contingat, ut revalidentur, mutatis circum-
stantiis, non erit scandalosa, nec damnata. Ad-
dit P. de la Fuente n. 142. quod licet loqua-
mur de damnatis spectantibus ad jus natura-
le, vel Divinum, accidere possit, ut pro tem-
pore censura Papæ varietur; non quia ea ju-
ra sint mutabilia, sed quia eorum intelligentia
accedentibus novis rationibus potest va-
riari: exemplo sunt plurimæ opiniones, quas
Papâ damnat, quia dicunt aliquid esse pro-
babile; non enim repugnat, ut opinio nunc
improbabilis fiat postea probabilis, & econ-
tra, ut nunc accidit; plures enim olim pu-
tat e probabiles, sunt post ea Decreta impro-
babiles; & hoc quidem contingit sententiæ
tuenti Deiparam in Originali conceptam, ut
plures docent, quæ, & aliæ olim putaban-
tur probabiles, & aliquorum SS. Patrum
dictis conformes, & nunc aliquæ ex illis sunt
damnatae; aliquæ autem, nempe de peccato
originali Deiparæ, etsi non sit damnata, ni-
si ut defendatur, plurimi tamen merito vo-
lunt esse improbabilem. Quomodo autem
non erraret Papâ, qui nunc diceret opinio-
nem aliquam esse probabiliorē, quæ post-
ea evaderet minus probabilis, imò falsa? Ait
idem P. de la Fuente, ideo non erraturum,
quia mutarentur circumstantiæ: ita unus Pa-
pâ approbavit aliquam Religionem tam-
quam utilem, quam alius mutatis circum-
stantiis extinxit; unus damnavit aliquam
opinionem, ut piarum aurium offensivam,
& malè sonantem, quæ verò sensu intellecta

desivit esse malè sonans. Hæc P. de la Fuen-
te n. 103. & 142. ex Corduba in quaestio-
nario lib. 1. quest. 7. §. 14. ante finem, & alijs.
P. de la Fuente.
Cordu.

Nota autem hic quali per transennam, me
non capere doctrinam Filgu. à pag. 28. in N.
Censurâ, ubi primo quaritur, an Decreta Ale-
xandri sint idem, ac declarationes Cardina-
lium; & ait hoc esse discrimen, quod decla-
rationes Cardinalium ordinantur ad alia ne-
gotia, & possunt consulto, & inconsulto
Papâ fieri; talia autem Decreta sunt à Con-
gregatione Cardinalium consulto Papâ, &
ut vitetur vitæ Christianæ corruptela. Sec-
undò ait pag. 29. quod declarationes Cardi-
naliaum, (loquitur de omnibus,) si sint cir-
ca casum singularem, & fiant consulto Pa-
pâ, habeant vim legis ad casus similes; si au-
tem non fiant, & sint ad casus singulares,
non habeant vim legis pro similibus. Tertio
ait, Decreta Congregationum facta ex spe-
ciali Papæ mandato, seu Papâ consulto, pe-
rinde esse, ac si immediatè à Papâ produce-
rentur. Quarto ait, Congregationi Cardina-
lium nullam adesse potestatem leges con-
dendi, sed tantum interpretandi jam latas,
& colligit ex Bullâ Sixti V. adeoque si no-
vam legem condit, est immediatè à Papâ.
Quinto, Decreta Alexandri vocat Decreta
S. Rom. & Universalis Inquisitionis. Sextò
pag. 58 ipsa Decreta Alexandri esse à Papâ,
ut loquente ex Cathedrâ.

Hæc ego non capio, primò, quia non vi-
deo, quomodo Decreta Alexandri modo vo-
cet Decreta Congregationis, modò Decre-
ta Papæ loquentis ex Cathedrâ: secundò
non video quomodo ex verbis Sixti inferat,
nulli Cardinalium Congregationi (numerat
autem quindecim) inesse potestatem con-
dendi leges; nam Sixtus videtur tantum lo-
qui de Congregatione Concilij Tridentini,
quæ quia respicit dogmata fidei, & morum,
rectè Cardinalibus non inest autoritas no-
vas leges cõdendi circa fidei dogmata; num-
quid aliæ Congregationes tractant de mate-
ria fidei? Tertio, si Filgueira, quia Sixtus
declarat nullam inesse auctoritatem leges
condendi Congregationi Tridentini circa
fidei dogmata, insert citatus Author nullam
alijs Congregationibus vim inesse ad novas
leges condendas; ita ego, quia Sixtus ex-
pressè ait, se impertiri facultatem, *se consul-
to*, Cardinalibus interpretandi, quæ spectant
ad morum reformationem, dicam ego nul-
lam omnino auctoritatem inesse alijs quin-
decim Congregationibus ad tractanda nego-
tia, nisi consulto Papâ; sicut autem hoc di-
cere non possum, ita neque dici potest, quod
dicit Filgueira. Advertendum autem, quod
licet

licet Doctores passim cum Bonacina, Diana, Herinx *tom. 2. d. 3. quest. 14.* asserant Cardinalium declarationes non habere vim legis, saltem ex defectu promulgationis; sunt tamen maximi ponderis, nec ab illis, si authenticæ sint, facile recedendum, ut constat ex Rotâ Romanâ, quæ in litibus decidendis sequitur eas declarationes, tamquam decisiones probabilissimas. Quia autem inter Cardinales declarationes sunt inter se oppositæ, ait Caram. Diana, & Herinx *n. 185.* ideo Urbanus VIII. die 11. Augusti anno 1632. decrevit nullam fidem illis, siue in iudicio, siue extra, esse adhibendam, nisi in authenticâ formâ, solito sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarij ejus Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Hoc certum, quod, si Papa approbet, & jubeat observari declarationem Cardinalium, habeant vim legis, si promulgentur. Vid. de hac re Illust. D. M. Tapiam *tom. 1. lib. 4. quest. 8. art. 8.* qui licet sustineat, ut probabilis declarationes Cardinalium habere vim legis obligantis in utroque foro omnes, & semper, (quod ego etiam verius puto) ac si à Summo Pontifice edite essent, & ita sentiunt Nicolaus Garcia *tom. 1. de Beneficijs in Præfatione, M. Mand. randa, Moneta, P. Salas de Leg. tr. 14. d. 21. P. Salas sect. 12. Barbosa, & alij;* attamen idem M. Tapia sententiam negantem habere vim legis, sed tantum esse dictamen gravissimorum Patrum, asserit probabilem cum P. Sanch. *tom. 3. de Matr. lib. 8. d. 2. n. 10. Navarro consil. 34. de Præbendis, Valero de Differentiâ utriusque fori, verbo absolutio, diff. rentia 1. n. 20. Pontio lib. 3. de Matr. cap. 13. Diana, §. 2. n. 1. Diana 1. p. tr. 10. ref. 29. & alijs.* Omitto, quæ Doctus Filguei. prolixo labore transcribit ex suo Th. Hurtado circa libros prohibitos: de quibus vide Herinx *tom. 3. d. 9. quest. 8.* per totam, & P. Ardekin *quest. 4. & 5. P. Gasp. Hurt. d. 10. diff. 11. Caram. tuse lib. 1. a. n. 318. & a. n. 255.* eruditè, & M. Hozes *pag. 644. & P. Moya tom. 2. tr. 5. P. Moy. quest. 10.* per totam.

N. Benè autem monet Abulensis in Defensorio *p. 2. cap. 81.* quod non ideo, quod Ecclesia approbat aliquem librum, etsi S. Augustini, esse de fide quicquid in eo continetur; ait enim, si approbatio Ecclesiæ hoc sonaret, quod definitio ejus, scilicet quod quando approbat libros Authoris, (expressè loquitur de libris S. Augustini, quos S. Ecclesia in Synodo quinta Constantinopolitana, Collatione tertiâ, & Gelasius Papa in Concilio primo Romano approbavit) ita haberentur contenta in illis libris, ac si omnia, & singula essent per Ecclesiam

determinata jam tanta esset authoritas librorum approbatorum, sicut authoritas Sacri Canonis Biblicæ. Hæc Abulensis, qui disertè hoc probat, & subdit, quod Ecclesia assereret contradictoria, eo quod approbaverit etiam libros S. Hieronymi, qui multis in locis directè contradicit Augustino. Vid. Em. Aguir. *tom. 3. in S. Anselmum d. 136. sect. 2. P. Val. in Analyfi Fidei lib. 8. cap. 3.* per totum, & P. de la Fuente *diff. 1. n. 136.* ubi notat maximi momenti esse approbationem libri Exercitiorum S. P. Ignatij, non enim approbatur in Generali, ut sæpe approbantur libri SS. Patrum, nec ea approbatio aliud præstat, quàm quod ille S. Pater pie, & utiliter scripserit, non autem approbatur tamquam verum omne, quod scripsit: at liber Exercitiorum est approbatus approbatione speciali, quæ est longè maioris efficaciæ, à Paulo III. autoritate Apostolicâ, & ex certâ scientiâ post accuratum examen, & frequentem fructus experientiam, quos Ecclesiæ attulit, & omnia, & singula in eis contenta approbantur, & collaudantur.

Objicies quarto: Eodem tenore procedunt Decreta Pontificia circa libros, ac circa opiniones: sed ea non sunt Pontificia, sed à Papa tantum, ut Capite Inquisitionis Romanæ ergo nec ista. Respondeo dupliciter daminari posse librum, primò per Decretum Pontificium ex plenitudine Apostolicæ potestatis, obligando omnes Fideles, ne eum legant; secundo per Decretum Papæ, ut Prædictis Congregationis: si hoc modo fiat, non obligat nisi subiectos Romanæ Inquisitioni; si illo modo fiat, obligat omnes: quod si aliquando, ut accidit in Hispaniâ, Pontifex supplicetur, ut eum permittat, & constet, cur talis liber sit damnatus, & opiniones propter quas est damnatus, tunc legi poterit, at juxta damnatas nemo operari poterit. Addo Papam damnare posse librum, tum per sententiam declaratoriam, damnando ut hæreticum, blasphemum, scandalosum; tum per sententiam legislativam, vetando ejus lectionem: à primâ sententiâ numquam fieri potest supplicatio, & ubique terrarum censendus est hæreticus, aut scandalosus; à secundâ potest. Vid. P. Card. *tom. 4. diff. 1. a. n. 220. Filg. a. pag. 42. Torrec. diff. 3. a. n. 23. & P. Tab. tom. 1. in Decal. lib. 2. cap. 1. de Fide n. 56.*

Ex his infer, in his Decretis reverà declarari doctrinas esse scandalosas; sunt autem scandalosæ, non quia damnatæ, sed sunt damnatæ, quia scandalosæ: tò autem tantum, quod additur in Decretis, non significat improprietatem, sed veritatem. Plura scitu digna dabit P. de la Fuente. *g. 19. a. n. 143.*

C. Agui.
P. Val.
P. de la
Fuente.

N.
37.

P. Card.
Filgue.
Torrec.
P. Tab.
bur.

N.

38.

P. de la
Fuente.

SE.